

Peter of Trabibus, Commentary on the Sentences (Florence, Bibl. Naz. D. 6. 359)

Transcribed by Tuomas Vaura¹

Abbreviations

add.	addidit
del.	delevit
fol.	folium
marg.	margine
om.	omittit
[...]	additio
<...>	additio editoris
(?)	lectura incerta

Liber 2, distinctio 24, circa 3, quaestio 3. (fol. 30rb)²

Utrum in anima rationali sit ponere intellectum possibilem et agentem?

Tertio quaeritur, utrum in anima rationali sit ponere intellectum possibilem et agentem? Et videtur quod sic, quia omne quod de potentia reducitur ad actum est possibile. Sed talis est intellectus, sicut patet ad sensum, cum non semper intelligat.

Item,

Philosophus, *III De anima*,³ dicit, quod sicut in aliis rebus, sic in anima est ponere aliquid quo est omnia facere et aliquid quo est omnia fieri.

Contra, intellectus

agens ponitur se habere ad possibilem sicut lux ad colores. Sed lux corporalis est principaliter visibilis ab oculo, ergo et intellectus agens erit principaliter cognoscibilis a nobis, quod est contra experientiam.

Item, nulla forma est per se possibilis, cum per se conveniat quod sit actus. Sed intellectus est forma, ergo etc.

Respondeo, dicendum, quod intellectus

agens et possibile sunt in anima tamquam pars sua cuius virtute fit

¹ The transcriber would like to acknowledge the funding from the European Research Council for the research project *Rationality in Perception: Transformations of Mind and Cognition 1250-1550* under the grant agreement n. 637747. I would like to thank Annemieke Verboon, who has helped me to improve the transcription. The line division of the transcription follows the line division of the manuscript.

The transcription may be cited as follows:

Peter of Trabibus, *Lectura* lib. 2, d. 24, c. 3, q. 3, Tuomas Vaura (ed.), *Rationality in Perception: Transformations of Mind and Cognition 1250-1550* -project. URL = <<https://blogs.helsinki.fi/rationality-in-perception/texts/>>. 2019.

² This question is transcribed also in P. Efreim Longpré, *Nuovi Documenti. Per la storia dell' Agostinismo Francese*, in *Studi Francescani*, numero 3, 1923, 304–350. My transcription is the independent transcription, but I have consulted the transcription by Longpré. Differences between the transcriptions are indicated in the footnotes.

³ Aristoteles *De anima* III.5, 430a.

actio intellectualis in nobis. Cum enim quandoque simus⁴ non intelligentes actu et simus⁵ actu intelligentes, et nihil de potentia reducat ad actum nisi per aliquid existens actu, *IX Metaphysicae*,⁶ oportet ponere istas differentias in anima.

Qualiter autem hoc fiat est inter philosophos et eorum sequentes⁷ infinitas quaedam opinionum, ut iam nullus possit male dicere quin habeat aliquam opinionem secus.⁸ Sed obmissa ista infinitate opinionum propter prolixitatem vitandam, assumo unam magis consonam Augustino et Boetio, quae talis est, quod intellectus agens est quaedam potentia animae, non tamen alia secundum rem absolute a possibili, sed una et eadem⁹ dicitur agens et possibilis, sed non eodem modo.

Ad quod intelligendum est sciendum, quod intellectus et voluntas movent se suis aptitudinibus. Sed duplex est motio ad praesens. Una, scilicet, quae sequitur causam efficientem completam habentem formam, ut calefactionis motio sequitur calefacientem. Et haec est semper ab alio in aliud, qua motione nihil movet se ipsum, quia semper transit in exteriorem materiam, *IX Metaphysicae*.¹⁰ Secunda motio est quae sequitur formam incompletam in ultima completionem. Sicut sequitur ferri deorsum lapidis formam quamdiu est extra locum suum, qua motione movet se lapis deorsum, admoto prohibente, formaliter, licet efficienter sit¹¹ ab alio, scilicet generante. Et tali motione movet se intellectus et voluntas. Et haec est semper in se ipso, scilicet in agente, *IX Metaphysicae*.¹² Talia enim agentia naturaliter inclinantur ad suas perfectiones dummodo habeant sua

<30va>
passiva proportionata. Nec est inconveniens, quod illud, quod est in actu primo et in potentia respectu secundi actus, faciat se de potentia ad actum, quia hoc dedit sibi generans efficienter, quo etiam motu dicitur materia et forma esse causa suorum accidentium. Ideo dicitur, quod generans quantum dat de forma, tantum de loco, quia dando formam, dat quae consequuntur ad formam. Nec talis proprie dicitur actio vel passio ab hoc in aliud, sed magis dicuntur actiones absolutae secundum Damascenum, *liber II capitulum XIII*,¹³ sicut calere et lucere, quae sunt actiones absolutae, non transeuntes in extra. Tamen est advertendum quod anima, dum sic movet se ipsam ut conformet se rebus, non res sibi, potest bene dici,¹⁴ licet non dicatur in se, prout non transit in aliud extra quod subiciatur,

⁴ *sumus*, Longpré

⁵ *sumus*, Longpré

⁶ Aristoteles *Metaphysicae* IX.

⁷ *sequaces*, Longpré

⁸ *secum*, Longpré

⁹ In marg. *Non debet fieri per plura quae aequae bene potest fieri per pauciora, quia natura et ars refugit superfluum. Item, unicum(?) est obiectum et unicus actus in specie, ergo et una potentia(?)*.

¹⁰ Aristoteles *Metaphysicae* IX.

¹¹ om. Longpré

¹² Aristoteles *Metaphysicae* IX.

¹³ Iohannes Damascenus, *De fide orthodoxa* lib. 2, cap. 23.

¹⁴ *in aliud* add. Longpré

tamen bene refertur ad huius¹⁵ relatione similitudinis et conformitatis.

Iterum, est sciendum quod talia moventia se formaliter possunt movere aliud efficienter, sicut grave, movendo se formaliter, movet aerem medium effective et per accidens se. Sic voluntas movet se ad volendum formaliter, sicut dicit Anselmus, sed efficienter potest movere alias potentias ad suos actus, puta intellectum, et alias,¹⁶ sine cuius actu ipsa non movetur formaliter, et ideo movet se efficienter ex consequenti et per accidens, sicut de lapide. Nec est inconveniens, quod unum se moveat per se formaliter et per accidens efficienter, quia illud, quod est virtute tale, potest se facere actu tale, sicut aqua calida actu et frigida potentia, quia est frigida virtute, facit se talem postea in actu qualis erat virtute, admoto prohibente. Et sicut dico de voluntate, similiter intelligendum est de intellectu.

Unde Anselmus¹⁷ vult, quod sicut in voluntate est distinguere inter instrumentum et usum instrumenti, sic et in intellectu, licet non sit¹⁸ sic¹⁹ manifestum. Unde intellectus est quoddam instrumentum et in eo sunt quaedam aptitudines per quas movet se in usum intellectionis.

Nec obstat si aliquis diceret, quod illud quod est virtute tale est nobilium quam illud quod est actu tale, sicut sol est virtute calidus et non potest se facere actu calidum, quia iam faceret²⁰ se imperfectius, quia tale actu est imperfectius illo quod est virtute tale. Ad quod est dicendum, quod illud, quod est virtute tale, est bene nobiliori modo tale quam si esset actu, quando est tale in virtute indeterminate universaliter, et tale non potest se facere formaliter tale. Sed est e converso, quando illud tale virtute est tale partialiter et determinate, et bene potest se facere tale formaliter, quia talis modus est nobilior quam, si esset solum virtute, sicut patet de aqua frigida. Et sic est de intellectu, quia prout est virtute tale, scilicet intelligens, potest se facere actu tale per suas aptitudines. Et prout illam perfectionem recipit, dicitur possibilis, et prout facit, dicitur intellectus agens. Et sic diversis respectibus non est inconveniens, quod sit una potentia possibilis et agens. Et est gradus, quia quanto potentia est altior, tanto est talis actio nobilior, sicut est in sensu ubi est minor potentia respectu intellectus, et in intellectu minor quam in voluntate. Nec ei dant aliquid fantasmata, sed bene excitantur potentiae ad praesentiam obiectorum.

Sed

contra haec dicta possunt insurgere dubitationes propter verba Philosophi, qui dicit,

¹⁵ *huiusmodi*, Longpré

¹⁶ *alios*, Longpré

¹⁷ Anselmus Cantuariensis, *De concordia* lib. 2, q. 3.(?)

¹⁸ *sic*, Longpré

¹⁹ *sit*, Longpré

²⁰ *facere*, Longpré

III De anima,²¹ quod hae duae differentiae intellectus se habent ad invicem sicut ars ad materiam, quia possibilis omnia fieri et agens omnia facere. Et tamen ego dicebam, quod est una potentia.

Secunda²² dubitatio est, quia Philosophus²³ dicit, quod talis intellectus est quasi tabula rasa, in qua nihil est actu depictum. Et tamen ego videbar ponere aliquam aptitudinem et quasi actum incompletum.

Tertia dubitatio est, quia dicitur ibidem, quod fantasmata movent intellectum sicut sensibilia sensum, et quod non intelligimus sine fantasmate. Et ego dixi, quod intellectus non movetur ab illis, sed a se ipso.

Quarta dubitatio potest esse, quia videtur nostra posita²⁴ tollere abstractionem per quam illud, quod est in potentia intelligibile, fiat <30vb> actu intellectum, quod est contra Philosophum attribuentem hoc intellectui agenti.

Sed ad istas quatuor dubitationes non est difficile respondere, si bene advertantur quod dixi, quia non sunt contra eum, licet non possimus plene nosse quid ipse de intellectu senserit, quia sua verba sunt taliter posita,²⁵ quod non patet quid ipse senserit, sicut patet per suos commentatores trahentes verba sua ad confirmandam suam positionem. Et ideo verba sua non arguunt efficaciter. Unde sufficit ostendere quod verba sua non sunt contra positionem nostram.

Dicendum est ergo ad primam dubitationem, quod illa duae differentiae non arguunt sufficienter, quod sint reales differentiae, quia ipsemet invenitur loqui de intellectu sicut de una reali potentia, differenti tamen ratione. Unde ipse vult, quod intellectus speculativus extensione fit practicus. Et sic nos dicimus, quod intellectus possibile extensione per suam aptitudinem fiat agens.

Ad secundum, dicendum, quod verum est, quod anima creatur sicut tabula rasa, quia in ea nihil est actu intellectum perfecte. Nec illud quod dico erat prius in actu sed in potentia. Sed bene est ibi quaedam aptitudo naturalis, quae est in potentia respectu ulterioris perfectionis,

²¹ Aristoteles, *De anima* III.5, 430a.

²² Add. in marg. *Item, si intellectus est activus, est liber ut voluntas. Dicendum, quod dato quod ita sit, autem hoc non sequitur, quia intellectus ad praesentiam obiecti actualiter moventis, sicut cognitum movet cognoscentem, necessario de se format actum intelligendi, nec potest non formare. Sed voluntas facta praesentatione obiecti libera est acceptare vel non acceptare. Unde potest formare actum volendi vel non formare. Item, si est composita ex activo et passivo per quid intelligit, magis dicendum, quod utrumque concurrat, scilicet activum et passivum, exemplum de gravi et levi. A quo autem habeat magis rationem intellectus, dicendum, quod non magis ab uno quam ab alio, vel quod magis in quantum passivum, quia ab alio posset causari actus intelligendi in ipso intellectu ut a Deo, non autem ab alio recipi.*

²³ Aristoteles, *De anima* III.4, 429b-430a.

²⁴ *positio*, Longpré

²⁵ *exposita*, Longpré

de qua dicit Psalmus,²⁶ signatum est super nos lumen vultus tui, etc.

Ad tertium, dicendum,
quod intellectus non movetur a fantasmate, sed bene aliquando²⁷ excitatur ad
praesentiam illius.

Ad quartum, dicendum, quod talis abstractio bene tollitur,
quae dicitur fieri per illustrationem et depurationem, sed non tollitur quin intellectus
puriori modo cognoscat quam fantasia, quia illa particulariter
et iste particulariter et universaliter.

Dicendum est ergo ad quaestionem principalem,
quod in anima est intellectus agens et possibilis sicut quaedam potentia, non differens
per aliquid absolutum, sed solum per diversum modum se habendi.

Ad

primum argumentum, dicendum, quod non est inconueniens, quod eo modo, quo dixi, aliquid reducatur
de potentia ad actum secundum, sed bene esset inconueniens de actu primo, sicut
sonant verba sua. Et sic intellectus est factus de potentia in actum primum a Deo,
et non a seipso.

Ad secundum, dicendum, similiter per dicta in quaestione.

De

argumento autem ad aliam partem, scilicet de luce, dicendum quod, pro tanto potest
dici intellectus agens lux, quia sicut colores non fiunt a luce
sed manifestantur, sic intellectus, movendo se, facit manifestum
actum cognitionis supra suam aptitudinem.

Ad secundum patet,
quia²⁸ licet forma non sit possibilis respectu primi actus, est possibilis respectu secundi, qui dicitur
operatio.

²⁶ Ps. 4:7.

²⁷ *aliqua*liter, Longpré

²⁸ *quod*, Longpré